

sumuntur. Theophr. 1. de Hist. Plant. c. 4. *Lignum* appellat, quod fissile est; & *carnem*, quæ omnibus dimensionibus diuidi potest, ut terra. Cortex autem est pars ultima, à subiecto corpore separabilis. Probantur illa, quæ proprium odorem, saporem, colorem, & substantiæ grauitatem, aut leuitatem seruant. Nos autem nomen Ligni & Carnis confundimus, vnum pro altero desumentes. Auic. lib. 2. Tract. 1. c. 6. decreuit inter ligna virgas desumendas, cum iam ad integritatem peruenerint, & non inceperint extenuari, & contrahi. Cortices, vt retineantur, eximere conuenit, cum herbæ suis folijs exuuntur, teste Diosc. in Proœ. Hæc omnia longam desiderant coctionem, nisi admodum odorata, & substantia sint rara. Prius frangantur, & disrumpantur, aut lima in scobem redigantur.

*De Succis eliciendis, parandis, seruandis,
& exsiccandis. Cap. IX.*



VM de Plantis, earumque partibus narrationem perfecimus, nunc de Succis, qui ab ipsis eliciuntur, tractationem admodum Seplasiarijs vtilem aggredi non grauabor. Hi non tantum ab herbis, ac folijs exprimuntur; sed etiam à floribus, fructibus, ac racemis, necnon etiam & à radicibus, & ramulis, prius non raro aqua, aut alio liquore macerati, vt Dioscor. placet, maximè cap. de Spartio, seu Genista, circa quos hæc considerata, & perpendenda

da veniunt, Tempus illos exprimendi, Modus depurandi, Ratio seruandi, & tandem recta Via illos exsiccandi, quotiescūque placita Medicorum hoc imperent, & statuunt.

Elici debet Dioscor. imperante (quod à paucis Seplasiarijs seruatur) *herbarum succus, & foliorum, germinantibus adhuc cauliculis*; tali enim tempore facultas plantarum in illis viget, cū natura minimè semina producere tentet. Iubet Albuc. pluribus in locis, folia desumenda esse, ac terenda ante ortum Solis, quod à me probandum reuera non existit; nam cū à matutino rore sint aspersa, succum non sincerum ab ipsis exprimi necesse est, immo impurum ob humidi, frigidiq. roris admistionem; vnde hebetatur, & languescit succorum virtus. Adde, vt experientia demonstrat, flores rore aspersos, ab aliquo comestos, tormina, & ventris dolores excitare; cū ros nihil aliud sit, quàm vapor ab aeris frigiditate in aquā concretus, vel leuissima pluuia, vt Arist. placet 1. *Metheor. cap. 11. Torculari, aut manu per linteum exprimantur, vt lib. 3. de Comp. Med. per loc. & Orib. 3. Synop. hæc: Linteo denso contrita excipito, & comprimito, vt succus egrediatur. Ne autem putredine contaminentur, & partes crassiores segregentur, decoquantur; humida enim eorum portio est in causa, vt acescant, quæ nobis reliquit scripta Gal. lib. 3. de Simpl. Med. facul. c. 15. his verbis: In succis omnibus aliud quod grauissimum, aliud leuissimum, & aliud terreū est illi permistum: unde euenit alios acescere, & alios corrumpi; & ideo indigent protinus ab initio coctio-*

Error aliquorum.

Error alter.

ne quadam. Cuius terminus, si Mef. præstanda venit fides, ut plurimum est ad tertiæ partis consumptionem, sicuti apertè elicitur, ubi agit de Serapijs, qui præterea statuit, dum decoquuntur, despumandos esse, præcipuè ubi de Miua Cydoniorum agit; deinde per colum transfundantur, & residere permittantur, donec clarescant. Hæc ille. Imperat Auic. lib. 5. S. 1. T. 6. coquendos esse ad dimidij consumptionem. Alium modum litteris tradidit Albuc. de quo, ubi de decoctionibus. Reperiuntur tamen aliqui succi, qui aliqua coctione non indigēt, sed proprio calore decoquuntur, ac depurantur, aliquo tamen temporis curriculo, ut Citri, Cydoniorum, Pirorum. Seruantur per aliquod tempus incontaminati, oleo illis superinfuso, aut melle admixto, sicut scribitur lib. 3. Simpl. Med. facul. cap. 15. sic: *Reponimus Rosarum succum melle miscentes, aut oleo incoquentes.* Sic & Mef. oleo affuso, & vase benè operculato instituit infusionem Rosarum, & Violarū seruandā esse: sicuti et melle & saccharo conseruantur multi succi, ut in Serapijs videre licet, & melle rofaceo, qui tamen si solitarij reponantur, facillimè corrumpuntur, ut 6. de Comp. sec. loc. c. 3. Et narrat Galenus, se vidisse per multos annos seruatum fuisse antidotum de Cydonijs.

Exsiccantur varia genera succorum, cum tamen illi prius fuerint & decocti, & depurati, aut igne, aut insolatione, veluti legitur loco supracitato sic: *Quidam verò succi ad Solem æstiuum exsiccentur, sed linteo tegantur aliquo, ne aliquid in ipsos decadat.* hoc mandatum

datum est Dioscor. lib. 4. c. 156. capite de Elaterio, ubi hæc: *Humor in pelui agitetur, & linteo opertus Soli exponatur.* Prisci quoque Medici insolabant succos, ut 6. de Comp. Med. secundum loc. cap. 2. sic: Ex Andromacho insolato, aut coquito ad spissitudinē. Et c. 3. hæc: *Quidam verò succi et si ad Solem estivum exsiccentur ad moderatam spissitudinem, per tempus tamen exarescunt, ut Vux acerba succus, Centaurij, Glycyrrhizæ, quibus suadet aliquid mellis addendum, ne ita resiccentur.* Sed quisnam est recentium Pharmacopœorum hoc agentium? immo in ipsos & pulveres, & festucas, & animalia non pauca cadunt, ob eorum incuriam. Et non pauci spernentes Gal. & Dioscor. mandata, non ad Solem illos densant, sed ardentissimo igne. & quonā vase? æneo. unde à vehementia æstuantis caloris eorum destruitur facultas, & à vase perniciofa introducitur qualitas, præcipuè cum sint coacti, dū ipsos à vase extrahere cupiunt, detergēdo abradere aliquam illius portiunculam. Ut fugeret excedentem ignis calorem, illos exsiccare decrevit Auic. ubi de Elaterio, super cineres calidos. Suaderem igitur illos, ne in tam graue erratum labantur, succos duplici vase (quod Balneum Mariæ dicunt) densare. Quotiescūque autem à fructibus succos elicere cupimus, sint illi talibus conditionibus insigniti, quæ à Scriptoribus imperantibus proponuntur; ne contrarias qualitates corporibus infirmis afferant: est enim maximi momenti, atque ponderis, à Cucumere siluestri succum educere ante eorum perfectā maturationem, & concoctionem; cum innumera detri-

Error aliquorum.

Elaterium quo pacto parandum.

Elaterium quo pacto parandum.

detrimenta, ventriculum subuertendo, anxietates, angores, sanguinisq. fluores, teste Mes. suscitare possunt. Et ideo Dioscor. hæc memoria digna circa tempus ipsos colligendi, ac parandi reliquit scripta lib. 4. c. 156. sic: *Decerpti Cucumeres, qui tacti protinus exiliunt, & disrumpuntur, seruantur nocte una.* Tales existunt, qui à Mesue Citrini dicuntur à viridi colore expoliati. Subdit Dioscor. modum parandi ita: *Postridiè imposito supra craterem rariori cribro, utrisque manibus prehenso sigillatim supino cultro sursum versus aciem habente findantur, atque per cribrum humor in subiectum vas decadat, simulq. carnosum, quod hæsit cribro, quò facilius excidat, eliditur, quod ita pressum est, residere finitur, atque in vicinam peluim demittitur; coaceruata autem in cribro segmina dulci aqua perfunduntur, & denuo pressa abijciuntur. Humor in pelui agitatur, & linteo opertus soli exponitur: Dumq. steterit tota supernatans aqua cum humore concreto effunditur; hoc verò identidem fieri solet, donec existens aqua lique scat, qua stillatim exhausta sedimentum mortario suscipitur, & conterendo cogitur in pastillos.* Hæc omnia ille. Alium modum proponit Auic. lib. 2. T. 2. his verbis: *Accipitur eius fructus in fine æstatis, postquam fuerit citrinus, & suspenditur in panno, ut descendat eius aqua, & coletur, & exsiccatur in scutella supra cinerem, & postea ponitur supra tabulam in umbra.* A maturis igitur, & perfectè concoctis succum elicere debent omnes Pharmacopœi, si secundum rationem, & grauium Scriptorum sententiam agere sibi persuadent. At non pauci eorum inueniuntur, negligentia, & ignorantia obcæcati, qui audent, spernentes

Error aliquorū circa Elaterium.

nentes Diosc. Auic. & omnium Medicorum mandatum, ab acerbis, ac immaturis succum extrahere. Dij immortales, quid magis impiū? quā ob leuissimam interdum impensam tam graua, atque insignia peccata committere? Vidi ego, nec mihi somnare videor, oculis proprijs varios Sephasarios, quos & multi Medici viderunt (audite facinus notatu dignum) ab ipsis omnino acerbis, ignorantia, & pertinacia quadam impulsos, succum exprimere, irridentes, & negligentes Medicorum praesentium reprehensionem, & antiquorum placita. Sed facile tale Elaterium cognoscitur, si memoria custodiuntur illa à Diosc. decreta, his verbis: *Optimum esse constat leue, non ponderosum, cum candore leuiter humectum, gustatu amarissimum, quodq. lucernarū luminib. obiectum facile flagret.* Porraceum autem, scabrumq. & turbidū si spectetur, vitiosum. Tale erat illud, quod à iam dictis parabatur. A bimatu ad decenniū Elaterium deiectionibus vtile esse solet, vt ille affirmat.

Succi omnes exsiccati, & maximè peregrini, macerentur, vt dissolui, & laeuigari facilius possint, sicuti primo de Antidot. cap. 15. legitur: Non sint autem diuturnitate arefacti, neque suas qualitates obscuras habeant, has dico, quas gustu, & tactu percipimus. Nam inueniuntur aliqui succorum, narrante Galen. lib. 6. de Comp. Med. per loc. cap. 3. *qui si ad plures annos durauerint, in eam perueniunt ariditatem, vt conteri queant in modum Citinorum, & Balaustiorum, tales exstant Hypocistidis, Vuae acerbæ, & Glycyrrhizæ. Quidam verò natura ita sunt tenaces, & viscosi, vt in laminam*
magis

magis abeant, ut conterantur. Arefacti igitur vetustate ab ipso damnantur: si necessitate compulsi præcipiti illis uti volumus, in frustra scindantur parua, deinde alio iam trito, ac arido conterantur. Multos horum decreuit terendos esse Gal. dummodò humidi non sint, veluti Opium, Hypocistidis succus, dulcis radicula, & Acacia, ut i. de Antid. cap. 5. Sed melius erit, si natura compositi permiserit, aliquo liquore eos macerare. Macerentur, ut lib. iam citato dicitur, vino per diem, vel per diem, & noctem, imperante Actuatio, postea per cribrum, vel aliud simile trajiciantur, ut ab omni parte impura, & inutili expurgentur. Inter succos enumeratur Aloe, quæ facile pistillo, placidè tamen agitando, minuitur, quod obseruandum etiam venit ceteris in succis; facile enim in vnum coeunt, & in placentiam abeunt.

Viscidi, atque lenti succi per linteum rarum manibus compressum, aut vasculum vimineum, aut cribrum ex seta equina contextum transmittantur, sintq. potiùs calidi, quàm secus; quia longo tempore indigent, antequam depurentur.

Succos densandi modus.

Modum densandi varia genera succorum nos docuit Mes. diligentissimus Dist. sexta, exemplo tamè desumpto à Rob de Ribes, siue Sapa Ribes, quo pacto ceteri densandi veniunt: cuius hæc sunt verba: Accipe succi Ribes lib. decem, coquantur igne lento ad tertie partis consumptionem, colentur, & subsidere permittantur, donec clarescant; clarum deinde igne clementi in vase vitreo, coquatur, aut exponatur Soli, usquequo ad iustam crassitudinem

dinem perueniat, & seruetur. Sic imperat densandum esse Oxalidis succum, Citri, Omphacij, de Berberis, Mororum, Cydoniorum, & similibus. Seruantur omnes succi saltem per annum, qui apud nos crassescunt; peregrini per longius temporis curriculum. Inter succos etiam locauit Theophr. lib. i. de Hist. Plant. c. 19. Vinum, & Oleum, de quibus, cum occasio postulabit, orationem suscipiemus. Aliqui pro firmo, ac rato habent succos sub Sole densatos calidos ita fieri, vt corpora inflammata, & febricitantium lædere possint: quod non tantum Scriptorum grauium opinioni repugnat, qui succos varios densandos esse inflammationi repugnantes decreuerunt; vt est succus Vuæ acerbæ, & Mororum ad crassitiem decoctus, à Gal. mirum in modum probatus ad faucium inflammationes curandas: sed etiam experientiæ; nam Oxalidis succus, & Citri igne, aut Sole densatus, nec salsus, nec amarus euadit, immo Glycyrrhizæ dulcior, nisi aduratur longo temporis tractu, maximè si Solis calore hoc agatur: placido enim modo in auram subtiliores partes euanescent. Nec mel, quod facile amarescit, lento igne decoctum euaporata superflua humiditate densatum nullius amaritudinis fit particeps.

De Mucagine elicienda, quæ ab antiquis succus appellatur. Cap. X.

M V C A G O inter illos succos enumeranda venit, qui maceratione fructuum, aut seminum, aut radicum, viscedinem in se continentium conficiuntur.

D

ciuntur.